



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

XXVI. De purgatione vulgari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
 CHRISTI
 1322.

XXIV.

Cum sortilegorum, maleficorum, incantatorum superstitiosa perniciēs sit reprobata a iure canonico & ciuili, & in his a pluribus excedatur, præfenti constitutione firmiter inhihemus, ne aliqui ad huiusmodi sortilegos, maleficos, incantatores, diuinatores accedere, aut ab eis super suis vel aliorum actibus consilium petere præsumant: alioquin tam ipsi, quam ab eis consilia requirentes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Inhihemus insuper sub excommunicationis pœna, ne aliquis attendat auguriis, aut in agendis secundum augurium consilia dirigantur. Prælati vero & prædicatores verbi Dei in suis sermonibus auguria dissuadeant omnibus Christianis.

XXV.

Cum per sanctorum patrum statuta præcipiatur, vt ecclesiæ in suis actibus materiæ mature procedatur, statuimus, vt purgatio canonica in causis sacrilegiorum vel aliis quibuscumque nullatenus indicatur, nisi tali casu, pro quo de iure sit purgatio indicenda.

XXVI.

Vulgaris purgationis abusum per Canones interdictum, quo suspecti de criminibus ad se purgandum ferrum candens, aut aquam feruentem accipiunt, detestantes, statuimus, vt mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes, custodientes, accipientes ad hoc ferrum vel aquam huiusmodi, cum his Deus tentari videatur, & innocentes in huiusmodi purgationibus sine demeri-

to puniantur, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto, & nihilo minus sæpius excommunicati publice nuntientur.

ANNO
CHRISTI
1322.

XXVII.

Pœnitentiæ sacramentum, quod omni fideli, postquam ad annos discretionis peruenerit, est necessarium ad salutem, a nullo est aliquo modo negligendum. Ideoque vniuersis ecclesiarum rectoribus sub pœna excommunicationis districte præcipiendo mandamus, vt constitutionem generalis Concilii, quæ incipit: Omnis vtriusque sexus: maxime quo ad pœnas non confitentium, aut non communicantium, quæ sunt, vt viuentes ab ingressu ecclesiæ arceantur, & morientes careant ecclesiastica sepultura, singulis dominicis diebus a septuagesima saltem vsque ad pascha in suis ecclesiis publicent, & in aliis locis, vbi hoc viderint expedire.

Et ego Roman. quondam magistri Oddonis de Laude publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, prædictas constitutiones, prout in ipsarum originali correcto vidi & legi de mandato, auctoritate & commissione reuerendi in Christo patris & domini, domini Guillermi episcopi Sabiniensis, apostolicæ sedis legati supradicti, in præsentia discretorum virorum domini Raimundi Flori canonici Compostellani capellani, & Stephani de Lilio archipresbyteri de Gomera Oxoniensis diocesis, clerici ipsius domini legati, testium ad hoc vocatorum & rogatorum die secunda mensis Septembris anni & pontificatus prædictorum,